



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

A varijs corpus deuotionis ergô contrectatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

necessariò corpus deferendum fuit , quod spoliantium religio nudum propè reliquerat, atque hīc non à nostris domesticis modò, sed à præcipuæ dignitatis viris , qui confertæ illi multitudini cesserant , religiosè contrectatum fuit . Nonnulli ingentem Rosariorum numerum ad affricandum, quidam annulos ad induendum digitis; alij strophiola ad contingendam faciem comportarant: quin tanta fuit venerantium multitudo , vt sæpiùs corpus in Templum efferre denuò coegerint clarissimorum virorum vota.

Cùm verò increbuisset fama , eo vespere sepultum iri ; nonnulli dignitatibus illustres oratum misere , vt in auroram sequentis diei sepultura differretur, quòd videndi eius desiderio maximo tenerentur. Id quod, cùm ne aliter quidem fieri posset , ex more Ecclesiastici ritùs , definientis diem totum mortuo dari insepulco (Ioannes autem horis vixdum duodenis viuuus esse desijsset) eorum simul precibus condonatum est. Noctu , digressis omnibus , Sacerdos Templi Ædilis , sicut priùs è gipso formâ capitis , corpus diffecari fecit , in quo nullum recentis morbi deprehensum vestigium , præter exiguum aliquam pulmonis lienisque inflammationem . Romanum quippe ut è Belgio primùm venit, corpore erat lactis succiique pleno ; at mox

O 2

Romæ

Romæ asperitatum frequentatione , perfectâ domestici ordinis obseruatione , assiduis animi exercitationibus , scientiarum virtutumque studio adeò macie extabuit , vt priscam sui similitudinem vix referret ; neque pingue quidquam corpusculo eius inhæreret , quin imò omentum ipsum , quo intestina continentur , quod adipe plenum vulgò esse solet , in eo repertum grandi macie torridum : quo colligebant anatomices periti , victurum eum diu non fuisse . Cor autem , cùm multo abundaret sanguine , argueretque , indole fuisse sanguineā , id quoque virtuti eius tribuendum est , quòd ab ijs vitijs propensionibusque abfuerit longissimè , quæ huiusmodi ferè constitutionis hominibus adhærescere consueuère.

Extractum est cor , seruatumque , ac post menses aliquot in Flandro-Belgium asportatum ; vbi venerationi habetur in Collegio Louaniensi . Templi Ædili cupidо incessit explorandi an placidissima illa suauitas , mansuetudoque Ioannis , ex ipso corporis habitu nasceretur . Quæsito ergo per Chirurgum felle , folliculus eius tam inanis repertus est , vt nec fellis indicium ullum supereffet ; quo nempe carere columbam hanc felicissimam decebat . Fuit denuò induitus vestibus , loculoque impositus ; ac sequenti die (qui Sabatius